Augustinus, Aurelius; Hieronymus: De spiritu et littera. Add: Thomas Aquinas: Tractatus de periculis contingentibus circa sacramentum eucharistiae. De suffragiis missae / Sermones duo de resurrectione mortuorum: De fuga mulierum; De continentia; De contemptu mundi. Add: Hieronymus: Epistola ad Paulinum presbyterum; Augustinus: Sermones de vita clericorum. Add: Hieronymus: Ordo, seu Regula vivendi Deo ad Eustochium

[Cologne: Printer of Dictys (Arnold Ther Hoernen) / Cologne: Ulrich Zel / Cologne: Printer of Dares (Johannes Solidi (Schilling))], About 1470-72




Inde est et illud Dilectissimi. filij dei sumus. & nondum apparuit quid erimus: Scimus quia cum apparuerit simi les ei erimus quia videbimus eum sicuti est: Ideo et apostolus paulus. tunc inquit facie ad faciem: Quia etiam dixit ali o loco. in eandem ymaginem transformamur a gloria in gloriam tamquam a domini spiritu: Et in psalmis dicit. vacate et videte quoniam ego sum dominus Tunc ergo optime videbitur quoniam summe vacabitur Quando autem summe vacabitur nisi cum transierint tempora labo riosa. tempora necessitatum. quibus modo obstructi sumus quamdiu terra parit homini peccatori spinas et tribulos vt in sudore vultus sui manducet panem suum Temporibus ergo extremi hominis omni ex parte transactis et die celestis hominis omni ex parte perfecto. summe videbimus. quia summe vacabimus Finita enim corrupcione et indigencia in resurreccione fidelium non erit quippe quod laboretur: Quasi enim diceretur recumbite et manducate. ita dictum est vacate et videte: Vacabimus ergo et videbimus deum sicuti est. et videntes laudabimus deum: Et hec erit vita sanctorum hec accio quietorum quia sine defectu laudabimus: Non vno die laudabimus Sed sicut dies ille non habet terminum temporis. ita laus nostra non habebit ter minum cessacionis. et ideo in secula seculorum laudabimus. Audi etiam hoc scripturam dicentem deo quod nos desideramus. beati qui habitant in domo tua in secula seculorum laudabunt te:

Explicit sermo sanctus beati Augustini episcopi de resurrectione mortuorum:

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-ii-468/0141
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG